

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro 30. ( *Neovidensis Nro 53.* )

---

Maja genitus, Deus caducifer, Vulcano fabrilia instrumenta, Jovi sceptrum, Marti ensem, Neptuno tridentem, Plutoni hoc scriptum politicum: *De Emendatione politica* furto sustulit.

---

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 13 Julii 1804. (Neov. 1 Julii.)

---

#### S e n t e n t i a :

Emendare se significat, opinionem suam (politicam) a devio tramite ad rectum adducere.

*Experientiæ c. 1.*

**I**nter omnia remedia, quæ nostra ætate late patens sapientia excogitavit, optimas suas res dispergendi, procul dubio exoptatissimum, & jucundissimum fuit revolutio. *Collocabo vos in mundum, qui omnes reddet meliores, & feliciores.* Ita sapientes nostri, in hanc sententiam singuli manibus, pedibusque abierunt. *Sed etiam ego ad meliorem, fortunatioremque statum eluctari pervelim.* Hac promissione plerique mortalium ad sanam mentem

adducti sunt, ita enim secum ratiocinabantur. Emendare se significat opinionem suam a devio tramite ad rectum adducere; clamandoque, & laments omnia complendo ingeminabant: „ *Quam longe aberamus a veritate!* “

Quemadmodum autem in cunctis opinionatis bonis, ita etiam hic rem totam invertit experientia. Sanctimonia contractuum sæpe violata est, & quod maxime dolendum! semper a sapientibus, subsecutum est terribile bellum, homines prolapsi sunt in tam tristem rerum perturbationem, ut nemo sciverit, quæ sit recta, quæ transversa via.

Hodie mihi sermo est ad Germanos; loquor Allemannis, quorum singuli pro omnibus, & omnes pro singulis vitam, & sanguinem devovebant. Tam nobili animo erant multi, sed non omnes. Bellum fervebat, boni, & fidi adhærebant patriæ. Poteratne hoc in delictis numerari? Non erat hæc virtus etiam in hoste probanda? & tanquam nationalis character Germanorum suspicienda? Non æstimavit hostis in suis amorem patriæ? quomodo ergo potuisset eundem Germanis toto terrarum orbe ab honestate conspicuis vitio vertere? Non debebat is despiciatui habere tales, qui nomine quidem germanico gloriabantur, prius tamen honorem, & patriam prodiderunt, quam bellum sortem nationum belligerantium decidisset? Emendare se significat, opinionem

suam a devio tramite abducere ad rectum. Antequam pax concluderetur, cujuslibet Germani via recta fuit in Germania.

Sed jam bellum pace mutatum est; nos tandem ad frugem applicuimus animum; omne odium, quod nationes bellum gerentes a memoria hominum, inde a bello inter Abelem & Cainum usque ad nostra tempora, pervaserat, evanuit; ita est, nos ad saniora redivimus consilia. Non puto tamen illicitum esse cum quodam belliduce germano meminisse observationis, quæ tam præterita, quam futura spectat tempora: Dea Concordia, ait ille, miranda olim produxit opera. Adstitit Hollandis, dum quinquagesies fortiori Hispanorum manui restiterunt.

Favit Græcis, dum centies validiorem Persarum exercitum terra, marique profligarunt.

Suppetias tulit Scanderbego, qui centum quinquaginta vicibus copiosiorum Portæ Ottomanicæ militem repressit.

Adjuvit nudius tertius Bostonenses Americanos. Neptunus, & Mars victas ei dederunt manus.

Opitulata est heri Gallis; omnes Dii adversus eam conspiravere; de omnibus cecinit triumphum.

Nobis stupendum reliquit exemplum in dissensione. Pars dixit: „*Nolumus nos immiscere bello alieno.*“ Pars altera octo annis in

sagis fuit. Concordia nos inexpugnabiles effecisset.

Verum mutavimus jam mentem; cum prioribus nostris inimicis, qui seu libere, seu coacte Deæ Concordiæ litabant, fovemus pacem; in rectam redivimus semitam; sed etiam Galli nuncium miserunt omnibus suis Democratiis, Demagogiis, Nationalibus conventibus, Directoribus, & eligi solitis supremis magistratibus; quod vere sapientes dudum præviderant, dudum prædixerant, dudum experientia docti demonstraverant, factum est, exitus respondit dictis, suntque omnia opere impleta. Napoleon est hæreditarius Cæsar Gallorum, veluti Imperator in Russia, Reges, & Imperantes in Europa, Principes, Comites, & Equites in Germania jure hæreditario gaudent. \*)

---

\*) David præparat modo Parisiis figuram æri incisam, quæ coronationem Imperatoris Gallorum exhibitura est. Tabula erit 20 pollices alta, & 16 lata. In magnifico templo apparebit Napoleon, cujus caput laurea cingit, corpus cæsarea purpura auro, & adamantibus gravis tegit, totumque circumdat victoria; Justitia, & gratia stipant ejus latera. Religio mystico tecta velo cæsareæ Majestati proponit Evangelium, super quo præstat populo Gallico jusjurandum. Gallia cæruleo, aureis stellis contexto induta pallio prosternit ad ejus pedes Protocolla, in quibus vota populi continentur, ut hæreditaria in Imperio successio ejus Fa-

In hunc modum post tentatas per quatuordecim annos varias imperii formas reditur ad antiquam. Orbis stupet hæc mirabilia facta; inquirat in causas, & originem tantarum mutationum; in calculum revocatum vim magnorum se se excipientium eventuum. O miseri mortales! Intueamini Cælos, divina providentia omnia reguntur; hæc voluit, & omnes innovationes dissipatæ sunt.

Testes appello magnos, & parvos, Ministros, & subditos, scriptores, & lectores, Philosophos, & Anacreontes revolutionis, Sacerdotes, & laicos, Politicos, & novitatum sectatores, Libellorum, ac Ephemeridum editores, imo ipsos etiam, qui in Campis Elysiis aut scribunt, aut loquuntur, adsint omnes, adferant suas opiniones, & sensa, judicentur coram tribunali historico. Audentne negare se esse ex ordine pœnitentium? Non suntne omnes in statu emendationis? Numquid de via, de recto non aberraverunt? Democratix addicti modo summa cum observantia colunt hæreditarium Imperatorem; Aristocratix patroni vident ex ruinis a se prædictis ingens consurgere regnum; Monarchix dediti mirantur novam Dynastiam; Athei, & Deistæ adeunt templa; cives se iterum Dominos compellant, Ministri vero,

---

milix deferatur. In hoc opere artem suam exercet David!

& Belliduces excellentissimos; æqualitatis fabricatores ad suprema Aulæ munera promoventur, jura hominum in debitum socialis subjectionis ordinem regrediuntur. Omnes excutiunt suas philosophicas opiniones, & sapiunt. Mundus, postquam satis bachatus est, iterum suo pristino decurrit motu.

Sed etiam scientiæ, atque artes sensim suum florem recuperabunt; Oratores, & Poëtæ sub præsidio Majestatis vetere cum decencia perorabunt, & canent; renovabunt aurea Augustorum, Leonum, & Ludovicorum tempora. Cuncta in priorem revertentur statum, sola supererit Personarum commutatio. Thronus refulgebit splendidius; Napoleon sedet ad clavum. Et nos, qui ista omnia spectamus, notamus, ac filiis nostris narramus, non augemusne numerum se emendantium? Fuitne, quæso, aliquando in orbe terrarum vehementior, magis diffusa, & conspicua, majorique admiratione digna rerum conversio?

Noster planeta terra cursu immutabili volvitur in hac immensa naturæ universitate. Soli nos ejus incolæ, quorum animum sapientia, & insolentia inflat, qui nos invicem persequimur, bellisque impetimus & tandem in ejus visceribus tumulabimur; nos, inquam, soli vitam mutabilem, indefinitam, calamitosam, & brevem vivimus. Ubi nunc sunt Salamones, Ptolomæi, Alexandri, Augusti, Nevtonii, Leibnicii, alii-que innumeri præstantissimi viri? Eorum ci-

neres venti jam dudum disperserunt; nonnisi in libris superest eorum memoria. Spei plena cogitatio, eos in altera vita beatos esse, nosque ibidem cum illis conventuros, solatium præstat adhuc viventibus, mereturque ut nos serio emendemus.

Ita hunc magni momenti eventum scribit Musa Historiarum, non in marmore, aut ære, sed in globo terræ sesquipedalibus litteris: *NAPOLEON IMPERATOR!* Hoc enim non tantum Gallia, sed orbis universus cum stupore audit, & sentit. \*)

Agnitio hujus inscriptionis in globo terræ est caput doctrinæ politicæ; quapropter fateamur sincere, & absque omni hæsitatione, nos omnes ab uno polo usque ad alterum esse emendatos. Hoc erat hodie demonstrandum. Si bene, plaudite.

---

\*) Vide sis figuram cum globo terræ, in quo Clio scribit: *Napoleon imperat* — superius visitur ejus imago cum insignibus cæsareis. Noli in malam partem interpretari, non esse a Dea verbum *Imperator* completum.

*Hanc figuram exprimens picturâ, hisce jam Novis adjungitur, esto cum magnis expensis; quod deinceps quoque semper faciemus, ut gratiam B. Lectorum nostrorum mereamur.*

—◆—

*Ad Benevolos Lectores harum Ephemeridum.*

Quamvis jam ipso Ephemeridum nostrarum exordio 200 exemplaribus plus ac numerus prænume-

rantium posceret, impresserimus; ita tamen, favente Deo, numerus Prænumerantium mox, sub ipso Aprilis decursu, increvit, ut & hæc direpta, & nova rursus per Complures petita fuerint e primis numeris exemplaria. Quare & nunc, ut ne accessuris adhuc forte per decursum hujus mensis novis Prænumerantibus desimus, longe plura exemplaria excudimus, ac numerus actualium Prænumerantium postulet.

Possunt itaque harum Ephemeridum nostrarum ab initio labentis mensis Julii centena adhuc haberi exemplaria, erga 4 fl. 30 xr. hic Posonii; 5 fl. 30 xr. beneficio cursoris publici sine sigillo; 6 fl. sub sigillo. Quod pretium quam leve sit, quisque B. L. facile concipiet, si gratiose perpendere voluerit, nos in hac etiam chartæ, aliarumque rerum caritate nunquam minus, quam 4, sæpe ultra 5 phyliras rerum notabilium edere; ut adeo intra decursum primi hujus Trimestris 65 circiter phyliras rerum notabilium in charta nitida ediderimus, præter duas æri incisas tabulas, idque erga exiguum 2 fl. 15 xr. (demto portorio) pensum. Quo plures autem Prænumerantes favore Suo nos animaverint, eo majore cum industria, impendioque exspectationi, quam de nobis conceperunt, satis facere, eventusque hujus temporis notatu dignissimos cum Benevolis Lectoribus nostris communicare, & ipsi etiam posteritati transscribere adnitemur. —

Quod dum pro notitia adhuc prænumerare cupientium significamus, una DD. Postalium Stationum Magistros humanissime requirimus, velint collecta DD. Prænumerantium nomina cum pecuniis quo ocyus ad I. hujus Postæ Præfectoratus officium transponere, ut & tituli DD. Prænumerantium de tempore imprimi, & Ephemerides nostræ iisdem mature expediri possint.

G. A. Belnay.